



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XXV. Testimoniis Patrum Græcorum & Latinorum confirmatur primatus
Petri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

can. 20. vetat Clericis, ne sine formatis literis ad comitatum eant. Vide Burchardum lib. 2. cap. 227. Iuonem lib. 8. cap. 433 & 434. & Sidonium Apollinarem lib. 7. epist. 2.

CAPVT XXV.

Testimoniis Patrum Græcorum & Latinorum confirmatur primatus Petri.

SUPEREST, vt adferamus veterum Patrum testimonia pro primatu S. Petri. Est autem antea obseruandum, quod si Patres dixerint, Petrum fuisse caput Ecclesiæ, aut primatum in Apostolos, vt Ecclesiam habuisse, id satis esse debet ad ostendendum Patrum sententia id quod volumus. Fatentur enim aduersarij per hæc duo nomina, *caput & primatus*, significari summam in Ecclesia potestatem. Itaque MAGDEBURGENSIS Cent. 1. lib. 2. cap. 7. col. 527. dicunt, propriam esse notam Christi, habere primatum in Ecclesia. Et CALVINVS confitetur. lib. 4. cap. 7. §. 3. *Cerrè, inquit, quamdiu durauit Ecclesia Vera & pura facies, ista omnia superbia nomina, quibus profusa insolescere cepit Romana sedes, prorsus erant inaudita.* Loquitur autem de nomine capitis & primatus. Et ibidem indicat, tempore Hieronymi adhuc durasse veram Ecclesiam faciem.

PRIMVS ergo prodeat ex Græcis ORIGENES (nam Dionysium, Clementem Romanum, Anacletum, & similes omittimus, quia ab aduersariis non recipiuntur) qui in cap. 6. ad Romanos ait: *Petro, inquit, cum summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi caritas exigitur.* EUSEBIUS in Chronico anni XLIV. à Christo nato: *Petrus, inquit, Apostolus natione Galilaus, & Christianorum Pontifex primus.*

Vbi est obseruandum discrimen, quod Eusebius ponit inter Petrum, & aliorum ciuitatum Episcopos. Nam de Petro non dicit, Romanorum Episcopus primus, sicut ibidem dicit de Iacobo: *Ecclesia Hierosolymorum primus Episcopus ab Apostolis ordinatur Iacobus frater Domini.* Et de Euodico

Primus

Primus Antiochia Episcopus ordinatur Euodius: non ita de Petro loquitur, sed; Christianorum Pontifex primus; nimirum ut intelligeremus, Iacobum vnius ciuitatis, Petrum totius orbis Christiani Pontificem fuisse; Idem lib. 2. hist. ca. 14. vocat Petrum omnium Apostolorum probatissimum & maximum, primorum principem & ducem, ac magistrum militiae Dei. Quid autem aliud est esse ducem militiae Dei, quam esse caput militantis Ecclesiae?

S. BASILIVS serm. de iudicio Dei, de Petro loquens: *Ille, inquit, beatus qui ceteris praelatus discipulis fuit, cui claves regni caelestis commissae, &c.* S. GREGORIUS NAZIANZENSIS orat. de moderatione in disputationibus seruanda, ostendere volens in omnibus rebus esse debere ordinem; argumentum sumit ab Apostolis; qui etsi omnes magni essent, tamē vnum praepositum habuerunt: *Vides, inquit, quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus & excelsis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Ecclesia fundamenta fidei sua credita habeat, ac reliqui discipuli posthaberi se tranquillo animo ferant.*

S. EPIPHANIVS haeres. 51. *Petrum, inquit, elegit, ut dux esset discipulorum.* Et in Ancorato: *Hic est, inquit, qui audiuit, Pasce agnos meos, cui creditum est ouile.* CYRILLVS Hierosolymitanus catech. 2. *Petrum principem Apostolorum excellentissimum vocat.* CYRILLVS Alexandrinus lib. 12. in Ioan. cap. 64. *Vt princeps, inquit, caputque ceterorum primus exclamat; Tu es Christus Filius Dei viui.* Et in thesauro (si B. Thomae credimus in opusculo contra Graecos) *Sicut Christus, inquit, accepit à Patre sceptrum Ecclesiae Gentium, dux ex Israel egrediens, super omnem principatum, & potestatem, super omne quodcunq; est, ut ei cuncta curuenter: sic & Petro & eius successoribus plenissime commisit, & nulli alij, quam Petro Christus quod suum est plenum, se ipsi soli dedit.*

S. IOANNES Chrysostomus homil. 55. in Matth. *Petrum, inquit, Ecclesiae futurae pastorem constituit.* Et infra: *Deus concedere solus potest, ut futura Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrupentibus immobilis maneat, cuius pastor & caput (ecce nomen CAPITIS Caluino inauditum) homo piscator, atq; ignobilis.* Et infra: *Hieremiam & ni Genti Pater, hunc autem & niuerso terrarum orbi Christus praeposuit.* Et hom. vlt. in

in Ioan. aliquoties repetit, Petro fratrum, id est, Apostolorum curam demandatam, & orbem totum commissum.

EUTHYMIUS in cap. vii. Ioan. bis repetit, Petrum accepisse praesidentiam super discipulos. Ibidem: *Si dicas, inquit, quomodo Iacobus fidem Hierosolymis accepit? respondeo, huius (Petrum) totius orbis magistrum esse constitutum.* Vbi docet Euthymius, sicut Iacobus fuit Episcopus Hierosolymorum, ita Petrum fuisse Episcopum totius orbis.

THEOPHYLACTUS in cap. 22. Luc. in illud; *Confirma fratres tuos: Planus, inquit, huius intellectus is est. Quia te habeo ut principem discipulorum, postquam negato me steteris, & ad penitentiam veneris, confirma ceteros. hoc enim dicit te, qui post me Ecclesia petra es, & fundamentum.* Et infra: *Tu Petre conuersus, bonum exemplum penitentiae eris omnibus, qui cum Apostolus fueris, & negaueris, iterum receptoris primatum omnium, & praefecturam orbis.* Hic etiam audit nomen PRIMATUS Caluino inauditum. OECYMENIVS in cap. I. Act. *Surgit, inquit, Petrus, non Iacobus, & velut ferrator, & velut is cui discipulorum praesidentia commissa est.*

HUGO ETHERIANVS siue Heretrianus circa annum Domini M. C. LX. tempore Emanuelis Imperatoris, scripsit libros de processione Spiritus sancti aduersus Graecos, in opere lib. 3. cap. 17. sic ait: *Ex ipsa, inquit, rei euidentia liquido apparet, quod Petrum eiusque successorem Christus primum & caput non modo Latinorum & Graecorum, Occidentis & Septentrionis vniuersi; verum etiam Armenorum, Arabum, Iudeorum, Medianitarum totius Orientis, & meridionali climatis in perpetuum constituit.* Hunc adiunximus Graecis, non quod fuerit Graecus natione, sed quod Graecè ut plurimum, & in aula Graeci Imperatoris scripserit.

Ex Latinis S. CYPRIANVS in epist. ad Quintum dicit, Petrum noluisse dicere, cum à Paulo reprehenderetur, se habere primatum, & sibi obediendum esse. Quibus verbis indicat eum habuisse primatum, & potuisse aliis omnibus iubere. At ne fortè dicant aduersarij Petrum ex sententia Cypriani idcirco non dixisse se habere primatum, quia falsum dixisset; audiamus AVGVSTINVM exponentem hunc locum Cypriani lib. de Baptis. cap. i. *Idem Cyprianus, inquit, in epist. ad Quintum ita loquitur; Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit*

Et super quem edificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcissione disceptaret, postmodum vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit; Et diceret, se primatum tenere, Et obtemperari à novellis Et posteris sibi potius debere, &c. Et paulò post: Ecce, inquit, ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum, tam excellenti gratia præeminet, &c.

Idem S. CYPRIANVS in libro de vnitae Ecclesiae, siue de simplicitate praelatorum (vt supra deduximus) facit Petrum caput, fontem, radicem totius Ecclesiae. Et de eodem dicit in epistola ad Iubaianum: Nos vnius Ecclesiae caput, Et radicem tenemus. Itaque illa duo nomina Cyprianus libenter vsurpat, quæ Calvinus inaudita fuisse dixerat in antiqua Ecclesia. S. MAXIMVS in 3. sermone de Apostolis: Quanti ergo, inquit, meriti apud Dominum suum Petrus erat, Et ei post nauicula parua remigium, totius Ecclesiae gubernacula tradentur.

OPTATVS lib. 2. contra Parmenianum: Cathedra, inquit, vna est, Et negare non audes, scire te Petro primum in vrbe Roma cathedram esse collatam, ubi sederit omnium Apostolorum caput Petrus, inde Cephas appellatus, in quo vno cathedra vnitae ab omnibus seruaretur, nec ceteri Apostoli singulas, sibi quisque defenderent, Et iam schismaticus Et peccator esset qui contra singularem cathedram, alteram collocaret. Ergo cathedra vna est, quæ est prima de dotibus. In ea sedit primus Petrus, succedit Linus, Lino Clemens, etc. Vides nomẽ CAPITIS & PETRI CATHEDRAM, ac successorum, vnicam totius Ecclesiae cathedram nominari. quæ Caluino erant prorsus inaudita.

S. AMBROSIVS in cap. vlt. Lucæ vocat Petrum VICARIVM amoris Christi erga nos, & eum dicit omnibus praelatum. Et in c. 12. ep. 2. ad Cor. PRIMATVM, inquit, non accepit Andreas, sed Petrus. Ecce iterum nomen Caluino inauditum. Idem in cap. 1. ad Galat. dicit, Petro curam Ecclesiarum à Domino demandadam. Deniq; serm. II. Hanc, inquit, solam Ecclesia nauem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino; Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Quæ nauis in altum seculi istius ita natat, Et pereunte mundo

mundo

mundo omnes quos suscepit seruet illos. cuius figuram iam Veteri & idem Testamento. Sicut enim Noë arca, naufragata in mundo, cunctos quos susceperat, incolumes reseruauit, ita Petri Ecclesia conflagrante seculo, omnes quos amplectitur representabit illos: & sicut tunc transacto diluuisio ad arcam Noë columba signum pacis detulit, ita & transacto iudicio ad Ecclesiam Petri Christus gaudium pacis referet.

B. HIERONYMVS lib. I. in Iouinianum: Inter duodecim unus eligitur, & CAPITE constituto schismatis tolleretur casio. Sed cur non Ioannes electus est Virgo? at ait delatum est quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens ac penè puer progressus at aetatis hominibus preferretur. Hic etiam audis non capitis Caluino inauditum.

B. AVGVSTINVS passim dicit Petrum habuisse primatum, ac præsertim lib. 2. cap. 1. de Baptismo, vt iam antea uimus, ubi etiam addit: Puto, inquit, quod sine illa sui contumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quod tum attinet ad martyrij gloriam. Ceterum magis se rebeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit, quod Apostolatus principatum cuiuslibet Episcopatus præferendum? sed etsi distat cathedrarum gratia, vna est tamen martyrum gloria.

Obseruandum hoc loco est, multum omnino, ex sententia Augustini, Petri cathedram præstare particularium Episcoporum cathedris: cum veritus sit, ne contumeliam Petri dederetur facere, si cum eo compararet Cyprianum, qui tamen non solum Episcopus, sed etiam primus erat totius Africae.

Notandum quoque, putasse Augustinum posse comparari martyrium Cypriani cum martyrio Petri, licet Petri multò nobilior, quia in eodem genere sunt martyrum omnium palma: at Cypriani sedem non posse conferri cum sede Petri, quia non solum sedes Petri est nobilior sede Cypriani, sed est quodammodo in alio genere; nam differunt, vt tota terra & pars. Non solum enim Petrus erat Episcopus Romæ, Cyprianus Carthaginis, sed etiam erat Petrus Pontifex orbis terræ totius, cum tantum partis vnus esset Pontifex Cyprianus.

Idem AVGVSTINVS de pœnitentia Petri loquens, sententia 124. de temp. Totius, inquit, corporis morbum in ipso capite curat.

curat Ecclesia, in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem, etc. AUCTOR quæstionum veteris & noui Testamenti, quæ sunt in IV. tomo operum Augustini, q. 75. Sicut, inquit, in saluatore erant omnes causæ & magisterij, ita & post saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit caput eorum, & pastor esset gregis Dominici. Et infra: Manifestum est, inquit, in Petro omnes contineri; rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in proposito populus aut corripitur, aut laudatur.

S. LEO passim hæc docet, præsertim serm. 3. de assumptione sua ad pontificatum: De toto mundo, inquit, & nus eligitur Petrus, qui & vniuersarum Gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesia Patribus præponatur: Et quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multiq; pastores; omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Et in epist. 84. ad Anastasium in fine: Magna, inquit, dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouincis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: Et rursus quidam in maioribus vrbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliore, per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesia cura constueret, & nihil vquam à suo capite disideret. Ecce habes hîc quoq; nomen capitis, & curam vniuersalis Ecclesiæ.

S. PROSPER lib. de ingratis:

*Sedes Roma Petri, quæ pastor alis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet, &c.*

ARATOR in cap. I. Actor. de Petro sic ait:

*-cui tradidit agnus-
Quas passus saluauit oues, totumq; per orbem
Hoc auget pastore gregem; quo munere summus
Surgit- &c.*

S. GREGORIUS lib. 4. epist. 32. ad Mauritium: Cunctis, inquit, Euangelium scientibus liquet quod beatissimo, & omnium Apostolorum principi Petro, Dominica voce totius Ecclesiæ cura commissæ est. Et infra: Ecce, inquit, clauis regni cælestis accepit, potestas ei ligandi atque soluendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ & principatus tribuitur.

BEDA hom. in vigilia S. Andreae, in illud: Intuitus eum, & Ioan. i. *Vidit, inquit, cordis eius simplicitatem, & vidit animi sublimitatem, cuius merito cuncta esset preferendus Ecclesia.* Et homilia in festo Petri & Pauli: *Ideo, inquit, B. Petrus, qui Christum vera fide confessus, & vero est amore sequutus, specialiter claves regni caelorum, & principatum iudicialis potestatis accepit: ut omnes per orbem credentes intelligant, quicunque ab unitate fidei, & societatis illius quolibet membris semetipsos segregant; tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec ianuam possint regni caelestis ingredi.*

S. BERNARDVS in epist. 237. ad Eugenium: *Locus, inquit, ista terra sancta est, locus Petri est, locus principis Apostolorum, & ibi steterunt pedes eius; locus illius est, quem constituit Dominus dominum domus sua, & principem omnis possessionis sua.* Et lib. 2. de consider. ait de Petro: *Instar Domini stans supra mare, & vincum se Christi Vicarium designavit, non uni populo, sed cunctis praesse deberet, siquidem aqua, & populi multi.*

His XXIV. Patrum testimoniis quasi vocibus XXI. priorum de Apocalypsi, aperte ostenditur consensus veteris Ecclesiae, tam Graecae, quam Latinae: ad quae nihil omnino sponderi potest, nisi quod Lutherus & Calvinus de Leonibus, eos humana passos, ac deceptos esse.

Sed si ita est, cur nemo vnquam eos reprehendit? Certè Irenaeus, Hippolytus, Theodoretus, Augustinus, Damascenus, in diatribis haeresum & hereticorum texuerunt, & in eo etiam Origenes posuerunt. At cur, quæso, in erroribus Origenis illum non notarunt, quod dixerit; Petro summam rerum de pasce ovis à Christo traditam? Cur Cyprianum, Ambrosium, Chrysostomum, Optatum, Leonem, & alios, inter haereticos non numerarunt, cum tam clarè docuerint, habuisse Petrum primatum, & fuisse caput Ecclesiae, & totum orbem terrarum illi commissum? Certè tantum errorem, qui Antichristo ipsi dicunt, tam aperte fauet, omnium scriptorum calamitas confodi oportebat.

Quare cum vno ore veteres clament, Apostolo Petro primatum Ecclesiasticum à Christo esse delatum; cum idem insignes Petri prerogatiuae testentur; cum in sacris diuinis literis hunc ipsum primatum tam liberaliter promissum

quàm fideliter datum esse videamus, nimis profecto pertinaces erimus, si aduersus tam claram veritatis lucem oculos clauerimus.

CAPVT XXVI.

Diluitur argumentum ex comparatione Petri cum Iacobo.

ARGVMENTA, quæ aduersus primatum Petri fieri solent, maxima ex parte soluta sunt in explicatione duorum locorum Scripturæ, Matth. 16. & Ioannis vlt. vbi de petra, de clauibus, & de ouibus disseruimus. Tria tamen supersunt. Vnum ex comparatione Petri cum Iacobo: alterum ex collatione eiusdem cum Paulo: postremò ex horrendis fœdisque lapsibus Petri, quos diuino consilio Spiritus sanctus literis mandari voluit, ne nimis multum Petro Apostolo tribueremus.

Ac PRIMVM quidem argumentum LVTHERI est, in lib. de potestate Papæ, vbi Iacobum maiorem Petro fuisse, his rationibus probat. PRIMVM, Christus fuit Episcopus Hierosolymæ, non Romæ, & Apostoli eius Presbyteri fuerunt: Igitur Iacobus, qui post Christi passionem Episcopatum Hierosolymæ sortitus est, Christo succedit, vel certè Vicarius eius est, non Petrus. DEINDE, Hierusalem est mater omnium Ecclesiarum; nam de Sion exiit lex, & Verbum Domini de Hierusalem, Isaia 2. Igitur Iacobus omnium Ecclesiarum pater est, non Petrus. PRAETEREA, Nicænum Concilium, can. 7. Episcopo Hierosolymæ primatum tribuit: idque ex antiqua consuetudine & traditione confirmat.

Possumus addere duo grauiissima testimonia. Vnum CLEMENTIS, qui lib. 6. dispositionum, apud Eusebium lib. 2. hist. cap. 1. sic ait: *Petrus, Iacobus, & Ioannes post assumptionem Saluatoris, quamuis ab ipso fuerint omnibus penè prelati, tamen non sibi vendicabant primatus gloriam, sed Iacobum, qui dicebatur Iustus, Apostolorum Episcopum statuunt.* Huc respexit LVTHERVS libro de potestate Papæ, cum ait, Petrum, Iacobum, & Ioannem, primatus suos reiecisse, & in Iacobum minorem eos contulisse.

Alterum est CHRYSOSTOMI, qui hom. 3. in Acta: *Vide, inquit, Iacobi modestiam. Is acceperat Hierosolymis Episcopi munus,*

Iacobum Iacobum pro maiore fuisse

“
“
“
“
“
“
“
“
“
“